

lum numquam non contrahi , quo-
 tiescunque Animalibus Spiritibus
 concitacione motus imprimitur , eo-
 que maiorem esse Musculi contra-
 ctionem , quo maior est Spirituum
 impulsus ; quandoquidem caussae
 effectibus suis constanti ratione re-
 spondent , et maiorem caussam
 maior consequi debet effectus . Ap-
 prehendatur iam , impellatur , ex-
 cutiatur , comprimatur , quacumque
 vi , et quovis instrumento , viven-
 tis Animalis Musculus , suis inte-
 gumentis indutus , immotus ille per-
 stabit quibusvis ictibus , et nati-
 vum relaxationis statum semper
 conservabit . Attamen in adducen-
 do , impellendo , excutiendove Mu-
 sculo magna fieri debet in Spiri-
 tus Animales impressio , qui pro-
 inde violento , incitatoque motu
 in Fibram irruentes , quaqua ver-
 sus impetum facient . Cur igitur

Ma-